

ILLUSTR.<sup>MO</sup> ET REVER.<sup>MO</sup>  
S. R. E. CARDINALI  
SCIPIONI LANCILOTTO.

Anno ab hinc LIII Scipio Lancilotte magna est orta inter duas nobiliss. civitates Ferrariam et Bononiam disceptatio, de flumine Reno, a loco in quo in Padum nunc influit, amovendo, et in locum alium transferendo. Ea apud Summos Pont. aliquot, est agitata. Eorum iussu, præsules multi loca inviserunt. Cardinales non pauci, et visendis locis, et utriusque partis, iuribus audiendis sunt præfecti. Senatores, equites, architecti, iureconsulti hinc, inde, sententias suas scriptis mandarunt satis multi. Nihil ab eis conclusum, nihil confectum. Novissimus tu, Cardinalis Lancillotte, anno ni fallor ab hinc quarto, fide integra, scientia perexquisita, iudicio peracri, a Sisto V Pontefice Maximo ad visenda loca, ad iura audienda, es missus. Vidisti diligentissime. Audisti patientissime. Dum in eo utriusque fluvii versareris negotio, cum Serenissimo Alphonfo II Ferrariæ Duce, ecc. inter alia, navi ad loca videnda non semel es vectus. Memini, semel in eadem tecum esse navi. Incidit, cum præsulibus, qui tecum erant honoratissimi, letteraria non una quæstio. Interfui et ego. ea occasione, et doctrina singularis tua, et animi moderatio, et prudentia, et gravitas, et singulares aliæ animi tui, cognitiæ sunt, virtutes. Eas ob causas me tibi addixi. Te ab eo tempore, animo meo non solum gessi, sed etiam honore ingenti colui. Cuius rei testificandæ, nulla mihi ante hunc diem, oblata est occasio. Eam ardentि animo arripui. Qua te, summo quo possem prosequerer honore. Inter ergo novæ mese Philosophiæ disputationes, magna universi aquarum intercidit contemplatio. Et ei coniuncta aeris, et terræ speculatio, perdifficilis, et multis difficultatibus obvolutæ. Tibi ergo, aquarum nature, et scientissimo, et peritissimo, universam eam tractationem dicare volui. Quis enim te, inter cæteras quas cales omnifariam scientias, hisce de rebus, tum philosophiæ, tum iurisprudentiæ, tum experimentorum rationibus, iudex melior, iudicium exactius ferre queat? Labores ergo hosce meos, magna rerum difficultate decem libris explicatos, observantiæ, et reverentiæ erga te meæ, apud viventes, et posteros homines, testimonium, nomini tuo dedicatos esse volo. Tu eos, et eorum authorem libenti animo, in clientelam, atque tutelam suscipe. Vale. Ferrariæ.

*Tui nominis observantis.*

*Franciscus Patricius*